

Cur igitur ecclesia et hi etiam, qui sunt conuersi ad Deum, exercentur calamitatibus seu quae sunt causae calamitatum in ecclesia?

Prima causa est peccatum haerens in natura, quod cum contemnat mundus, Deus [118:] in ecclesia vult conspici iram suam, vt agnoscamus peccata et nos subijciamus iudicio ipsius. Secunda causa est odium diaboli, qui rabiosius saeuit in ecclesiam quam in 5 alios. Tertia causa est, vt in cruce exercentur et crescant poenitentia, fides, inuocatio et tota nouitas iuxta dictum: „Bonum est mihi, domine, quod humiliasti me.“²¹⁰ Quarta: Quia plurima sunt in ecclesia etiam actualia delicta atrociora, quae Deus punit propter suam iusticiam et propter exemplum et vt multos ad poenitentiam reuocet. Quinta, vt afflictiones sanctorum sint testimonium de secuturo iudi- 10 cio. Sexta, vt afflictiones sint testimonium de doctrina, quod pij vere sic sentiant nec sui commodi causa circumferant fictam doctrinam. Septima, vt fiamus conformes imaginis Christi. [119:] Octaua, vt liberationes in calamitatibus sint testimonia de praesentia Dei in ecclesia.

Quomodo discernuntur gradus afflictionum
in ecclesia?

15

Genera sunt quatuor: 1. τιμωρία vt exilium Daudis,²¹¹ 2. δοκιμασία vt carcer Ioseph,²¹² 3. μαρτυρία vt mors baptistae,²¹³ Pauli²¹⁴ etc. 4. λύτρον solius Christi obedientia est.²¹⁵

²¹⁰ Ps 119,71.

²¹¹ Vgl. II Sam 15,13–37.

²¹² Vgl. Gen 39–41.

²¹³ Vgl. Mk 6,14–29.

²¹⁴ Vgl. die knappen Hinweise auf ein Martyrium des Paulus in Rom in I Clem 5,6f.

²¹⁵ Vgl. Mk 10,45.